tingere citati ostendunt per varios textus, qui contrarii videntur, discurrendo: quod præsertim exequitur P. Suarez. Idem autem in casu, de quo loquimur, etiam contingere ex eodem fundamento constat; nulla enim lex de hoc statuens, priuationem ita indicit, vt sententiam saltem declaratoriam necessariam esse videatur inficiari.

Rationes alia.

138 Accedunt aliorum rationes pro eodem: Nauarrus in Manuali *Cap.23. num.67.* ex eo arguit, quod eleganter prosequitur P. Bauny *suprà Assert.1. §. Tertio, Nimium.* Quia ab humanitate, quæ hominum est propria, abhorret, vt quis contra se jus dicat, in se ipsum sæuiat, sibi pœnam statuat, aut statutam à judice effectui tradat: quod eum tamen facere esset necessarium, si esset opposita sententia vera. Quod quidem licèt generaliter verum habeat, in casu nostro robustius vrget, vbi quod relinquitur, tantùm dignitatis, & emolumenti habet, vt cùm illud viri litterati comparant, se felicissimos arbitrentur. Deinde citatus Auctor sapienter in hunc modum philosophatur: cùm id agere pauci probabili admodùm coniecturâ sint animum inducturi, de se vt pœnas sumant, de eo mandatum dare, esset eorum conscientiis laqueum iniicere: quàm non est ergo probabile legi pœnali quemquam debere obsequi, nisi post sententiam. Qui discursus in causam præsentem quadrat aptissimè. Quid enim ex iis, de quibus loquimur, erit, qui dignitatem tantam, nullo impellente, deponat? Et certè viri docti, & Christiani sic fecisse comperiuntur, vt ex eo etiam aliquod possit positioni isti firmamentum accrescere, vt ea possit sine conscientiæ remorsu sustineri. Quæstiunculæ aliquot circa hoc, quia forum conscientiæ non ita spectant, videri possunt apud Dom. Solorzanum in Politica citato *cap.9.*

Ex Nauarro.

Ex P. Bauny.

§. IV.

Quid de Filijs ex occulto coniugio natis.

Filios ita educare, vt parentes nõ agnoscant, inhumanũ videri.

139 ILlud, de quo ipse nihil disseruit, quæstionem meritò videtur exigere; quod ad filios attinet occulti matrimonii tempore procreatos. Cùm enim vt tales tractari nequeant, ne coniugium detegatur, neque filii ipsi quandoque parentes agnoscant, etiam in grandiori ætate, in eo quoddam inhumanitatis genus apparet, & naturalis ponderis violenta retardatio. Videmus in animalibus recèns natos partus matres agnoscere, & inter gregis numerum confusum, eas quærendo dignoscere; & ita pro quodam quasi naturæ prodigio habetur, si tale aliquid in nonnullis non reperiatur. Pro quo iuuat Cassiodorum audire sic loquentem *Lib. 2. 19. Ferarum catuli sequuntur parentes; à cespite suo virgulta non discrepant: propago vitis propriæ seruit origini: & discrepat homo à suo fusus initio? Perdicibus etiam mos est oua perdita per alterius matris damna sarcire: vt adoptione alienæ sobolis incommoda suæ reparent orbitatis. Sed mox vt nati fiduciam habere cœperint ambulandi, ad campos exeunt cum nutrice; qui vt fuerint maternâ voce commoniti, omorum suorum potiùs genitricem petiunt, quamuis ab alijs furtiuis fœtibus educantur.* Sic ille: eâ in exordio exclamatione vsus: *Quis possit accusare jam reliqua, si pietatis nomina probantur esse crudelia?* Naturæ ipsius illa vox est apud Virgilium. Eclogâ.4.

Cassiod.

Virgilius.

Incipe parue puer risu cognoscere matrem.

Reddit autem statim rationem, nam eo risu fastidia gestati vteri videntur matri compensari.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Pergit item vates infelicitatem denuntians, si non incipiat cognitionem à risu parentum auspicari, sic dicens:

Incipe parue puer. Cui non risêre parentes,
Nec Deus hunc mensâ, Dea nec dignata cubili est.

Ab ortu ipso mutua cum risu debet esse cognitio.

Simplicior intellectus, vt & lectio, nam alii habent. *Qui non risêre parentes:* vt risus parentum risui recèns nati respondeat: & quando hic risu illos cognoscere incipit, incipiant & illi risu cognoscere natum: ûn minùs, infelix ille, nec mensâ, nec cubili, à Ioue, aut Genio, ac Iunone, fabulosis numinibus condonandus. Pro quo P. Pontanus consulendus. Infelicitas ergo filiorum sat magna est suos parentes ignorare; sicut & insignis parentum crudelitas se illis non reddere manifestos, sed vt alienos tractare struthionis adinstar, de quo *Iob 39.v.16. Duratur ad filios suos, quasi non sint sui.* Quin & ex claris orti parentibus, spuriorum iniquâ fortunâ premuntur: tales enim dicuntur, quia sine patre, vt apud Grammaticos vulgare; sine patre inquam noto; vt habere incognitum perinde ac nullum habere veniat æstimandum.

Exponens filium, nequit eum repetere. Ex quo arguitur.

140 His accedunt alia ex juris vtriusque dispositione. Nam exponens filium, si sponte id faciat, repetere eum nequit, *Nec enim dicere poterit, quem parentem contempsit*, sic habetur, *L. Prima, & secunda. C. de Infantibus expositis.* Glossa in Cap. *Si Expositus*, 87. *distinct.* vbi pereuntem dicit, qui à parentibus ita abiicitur, vt eosdem non agnoscat, nam perire dici aliter nequit, cùm ideò exponatur, ne pereat, sed pietate alienâ subleuetur. Et id quidem ad tempus, quandoquidem de eo agitur, qui conatur repetere, non ergo filium voluit à se perpetuò separare. *Cap. Expositus, distinct. citatâ:* idem statuitur sed cum moderatione, de qua ibi. *Contestationis* (inquit) *penitus Epistola, vt si is, qui collectus est, intra decem dies quæsitus, agnitusque non fuerit, securus habeat, qui colligit. Sanè qui post prædictum tempus calumniator extiterit, vt homicida Ecclesiasticâ districtione damnabitur, sicut Patrum sanxit auctoritas.* Ex Concilio Toletano 4. *Cap.* 71. vbi dici nequit, id propterea statui, quia alimenta denegantur: nam ea possunt à repetente exigi, & soluere ille paratus esse potest; cùm etiam stare possit, vt nulla propterea debeatur compensatio, si puerorum educatio ex pietate procedat, vt videri potest apud P. Fragosum *Tom.3. pag.33. num.129.* Pro quo hæc dici possent.

Moderatio ex Cap. Expositus

Toto vitæ tempore cognitione parentum priuari, graue esse peccatum.

141 Primò, ita suspensum tenere filium, vt toto vitæ tempore patrem non agnoscat, graue peccatum esse videtur. Probatur ex dictis; quia id contra omnia naturæ jura esse videtur, & ita à legibus indicatur. Item filius priuatur bono maximo contra id, quod paterna pietas exigit; priuatur namque agnitione parentum, quæ maximè connaturalis est hominibus, & exoptatissima; ex quâ etiam alia subsequi bona possunt, reuerentia inquam erga illos, jus ad hæreditatem, quæ licet aliàs detur, non tamen vt talis, quod etiam oportet filium non ignorare. Præterquam quòd suspensio illa excitare in filio potest graues suspiciones, quòd si alius illi assignetur pater; obligatio imponitur specialis obseruantiæ, ad quam non tenetur, & sic alia accumulari inconuenientia possunt.

Non ita per tempus aliquod.

142 Secundò. Per tempus aliquod id tenere secretum, donec scilicet filius ad annos discretionis peruenit, & secretum etiam ipse seruare possit, non videtur lethale crimen habere. Id probo: quia rationes naturalis obligationis videntur cessare: quia ex eo damnum notabile filio non emergit. Item, ex sententiâ satis probabili, iuxta quam pater potest bona aduentitia filiorum ad longum tempus alienare. Videatur P. Rebellus *de iustitia Libr.* 14. *Quæst.* 5. *num.* 8. vbi pro illâ Pinellum adducit cui & ipse annuit. Cùm præsertim secretum hoc in ipsorum filiorum bonum videatur cedere, quorum interest parentes in officio conseruari. Accedente autem ætate dictâ, nequeunt filij ad secretum obligari, si ipsorum interfit illud non seruari; quia est de iuribus naturæ parentum agnitio; nisi quando reuelatio in eorum infamiam redundaret. Quemadmodum filiis à parentibus impediri coniugium nequit, iuxta dicta *num.* 134. quia de iure naturali est, sicut nec seruo dominus.

Bona aduentitia filiorum posse à patre ad longum tempus alienari.

§. V.

Peculiaris casus disquisitio.

Circa negatam filiam, & vti vxoris honorem nuptui traditam.

143 IVxta quæ indicandum occurrit, quod modò sub lite est: Senatori enim cuidam ab æmulo opponitur filiam intra Prouinciam, immo & in eâdem ciuitate, in quâ Regia Curia existit, nuptui tradidisse. Sed respondit ille non esse filiam suam, sed vxoris sororem, filiam autem soceri, & socrûs, quod & ipsi suis testamentis declararunt. Quid veri res habeat Deus scit; & Senatoris sapientia, & probitas adeò perspecta est, vt fides ei possit adhiberi. Demus autem filiam esse: an id agi tutâ conscientiâ possit, vt eam pater neget, affirment suam aui, dos illi ex legitimâ cum aliis fratribus accipiendâ portione designetur? Negatiuè profectò respondendum, si talis filia Catastrophem istam ignoret; si autem sciat, suo agere iure potest. Primum constat ex dictis, quia ad æternam parentum suorum ignorantiam condemnatur. Secundum item; quia vt diximus, ætatem habet, & quid sibi expediat potest peruidere. Quòd si tacente patre res iuridicè probetur, non tenetur testamento fidem habere, cùm explorati iuris sit parentum attestationem in testamento per probationes in contrarium elidi. *Cap. Transmissæ, qui filij sint legitimi;* ibi *standum est verbo viri, & mulieris, nisi certis indiciis, & testibus, tibi constiterit filium esse illorum iuuenem memoratum.* Quod ad legitimam verò attinet, potuit quidem ita disponi, & secretò peragi, inter Soceros, & Generum rerum istarum peritissimum, vt nihil contra filiorum ius in legitimæ assignatione iniustum misceretur, Senatoris vxore melioratâ, non publicè, sed secretò, vt sic nepti æqualis legitima cum legitimis filiorum obueniret. Non ergo ex hoc capite damnanda venit transformatio ista neptis in filiam, sed ex aliis dictis, si ignoratio fuerit diuturna.

Negatur fieri tuta conscientia posse, quod in casu proponitur.

Vt credite testamento debeat.

Cap. Transmissæ qui filij. &c.

Æstimatio famæ quãtum in hoc casu debeat præualere.

144 Nisi fortè tanti æstimetur Senatoris fama, vt videatur omnibus præfatis naturæ iuribus præferenda. Cùm enim illi intentata lis fuerit de matrimonio sine licentiâ contracto, & nata ex eo filia, ipseque constanter semel, & iterum se defenderit probationibus in contrarium; si res tandem detegatur, manifestum fiet contra veritatem illum militasse, quod in iudice supremo in ordine constituto semper indignum apparebit. Ne ergo periclitetur honor, res secreta retinetur, nec filiæ ipsi aperitur, quia nec filiæ adeò fidi potest, ob periculum in eo sexu communibus experientiis comprobatum. Pro quo Aristophanes apud Stobeum sic ait.

Femina secreti nescia.

At quid interest, siue mulieri
Siue omnibus in foro præconibus narrare?

Quod & de coniunctissimis accipiendum iuxta firmiorem propheticum sermonem Michææ 7. *v. 5. Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui:* vbi D. Hieronymus sic ait: *Inter chara nomina, & sanguinitatis affectus rara est fides.* Chara autem nomina inter consanguineos, filius, & filia, frater, & soror præ aliis sunt: sed femineus præsertim sexus designatus, dum dormientibus in sinu ea aut infidelitas aut infirmitas exprobratur. Hoc ergo in casûs contingentiâ ponderandum; sed non politicè tantùm cùm Christianus potiùs in negotio conscientiæ debeat respectus præualere.

Michææ. 7. v. 5.

D. Hieron.

Ea de qua agitur vt credere debeat dicenti suam esse filiam.

145 Vbi illud addendum, Senatori asserenti talem esse filiam omnino credendum ab eâ, de qua est quæstio, etiamsi contrarium sit testamento declaratum, quia vt non credatur testamento; ea ratio esse potest, de qua dictum, voluisse scilicet illos indemnitati Senatoris eiusdem generi sui consulere officioso mendacio, in quo graue peccatum non esse, potuerunt bonâ fide existimare. Vt autem Senatori non credatur, nulla esse ratio potest; tum ob personæ dignitatem; tum quia nullum ex eo emolumentum reportat, & quia, vt sibi credatur, irrefragabiles adiiciet coniecturas. Vnde hic locum habet decisio Cap. *Transmissæ* citata; quia per apertas probationes testimonium in testamento aliter asserentium infirmatur. Vnde & si per testes probetur illam non esse filiam. Idem dicendum; quia si testibus in extremo vitæ positis non creditur in hoc casu, multò minùs est credendum aliis, cùm in rebus huiusmodi doceat experientia non multum legales esse solitas ciuium depositiones. Pro quibus non plura.

CAPVT XVII.

De obligatione secreti in Auditoribus Indicis.

Iuramentum de secreto, quod emittunt Auditores quomodo

146 PRo illius obseruatione, dum officij possessionem accipiunt, iuramentum emittunt; vnde manifestum est ad illius custodiam obligari; & quidem sub mortali, quando negotium, de quo tractatum in con-